

MEMBRIS MAJESTATIS


M. CASPARI

JOHANNES HENNING

LEIPZIG

1717





1654 of 27 51  
1/1

HYPOMNEMATA POLITICA  
*De*  
JURIBUS MAJESTATIS.  
*PRÆSIDĒ*  
M. CASPARE ALEXANDRI,  
*publice disputabit*  
JOACHIMUS HENNINGUS à Zalkow  
in Auditorio minori  
*d. 18. Mart. hor. pom.*

---

WITTENBERGÆ  
Literis exscribat JOHANNES RÖHNERUS Acad. Typogr.  
M DC LIV.



KOEN. BIBL.  
DER  
UNIVERS.  
HALLE.



## HYPOMNEMATA POLITICA.

De

# JURIBUS MAJESTATIS.

I.

**N**on semper Majestas est, quæ Majestas saluatur; sed aliquando Majestas pro dignitate usurpatur. Valerius Maximus Lib. II. c. X. *Est & illa quasi Privata censura Majestas clarorum Virorum, sive tribunalium fastigio, sive apparitorum ministerio, potens in sua amplitudine obtinenda. Grato enim & jucundo introitu animis hominum illabitur admirationis prætexta velata; quam rectè quis dixerit longum & beatum honorem sine honore.*

II. Majestas Magistratibus & Consiliariis non competit, nisi attributivè aut quatenus illi majestatem Reipublicæ representant. Itaq; Sicinnius majestatis postulabat Marcium, quod adiles jussos eum ad tribunos ducere, pulsatos abegisset; contumeliosam enim injuriam illam suis ministris factam in nullos alios, quam in eos, qui id jusserant recidere. Dionysius Halicarnassæus Lib. VII. hist. Sic nec Augusta majestatem habet, nisi quod Principes eadem illi privilegia tribuunt, quæ ipsi habent. Ulpianus Lib. XIII. ad L. Juliam & Papiam.

A 2

III. Ple-

III. Plena Majestas est potestas absoluta in civitate ubiq;. Ita Aristoteles Lib. III. Polit. c. VI. & Lib. IV. Politic. c. I. Unde Arniseus de Jure Majestatis Lib. I. c. I. in fine. *Proprie & per se majestas est summa potestas in Republica, qua omnes reliquos Legibus suis comprehendit; ipsa nullius nisi Dei & natura lege tenetur.* Hinc Ambrosius in Apolog. David. c. IV. & X. *Peccavit David quod solent Reges, sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent Reges. Quod erubescunt facere privati, Rex non erubuit confiteri. Qui tenentur Legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat, qui nullis tenebatur legibus humanis. Rex utiq; erat, nullis ipse Legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum. Neq; enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate. Homini ergò non peccavit, cui non erat obnoxius. Malè verò Suterus Majestatem legibus civilibus subjicit, Animadversione in Hippolithi à Lapide dissertationem de Ratione Status. Part. I. c. I. non animadvertens Legibus Majestatem subjici aliquando, non ut legibus, sed ut honesti præceptis; quod quidem jam pridem observavit & professus est Justinianus L. IV. c. de Legibus. Mecenas ad Augustum apud Dion. Libr. LIII. *In summa consilium tibi do, ne aliquando abutaris potentia tua, neque enim putes esse diminutionem ejus, si non simul omnia facias, qua possis; sed quanto magis omnia qua statueris potes perficere, tantò magis cura, ut optima tibi quæq; proponas.**

IV. Supra Majestatem nihil est. Tertullianus in Apolog. contra. Gent. *Sciunt Imperatores quis illis dederit imperium: Sentiunt Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt; à quo sunt secundi, postquam primi ante omnes Deos,*

&

Et super omnes homines. Et rursus. Temperans Majestatem Caesaris infra Deum, magis illum commendo Deo, cui soli subicio; Subicio autem cui non adæquo.

V. Majestas non in habitu animi, sed in potestate summorum jurium civitatis posita est, quæ Jura Majestatis vocantur. Talia sunt; Jus Sacrorum; Jus legis ferenda universalis; Jus indicendi bella aut firmandi pacem Et fœdera; Jus constituendi Magistratus; jus liberandi damnatos contra vim legum; Jus percutiendi nummi Et vectigalium; Jus extremae provocationis. Bodinus Lib. I. de Republica. Hæc omnia qui habet Majestatem plenam possidet; cæteri partem duntaxat. Nec communicari hæc jura subditis possunt salva majestate ut propria; quamvis usus eorum parentibus aliquando, facto privilegio committatur.

VI. Jus Sacrorum in externis maximè versatur, quatenus Reipublicæ pars est. Aristoteles Lib. VII. Politic. c. VIII. Quintum opus Civitatis est, ex quo pars civitatis judicatur, quod primo loco ponendum fuit rerum divinorum Et ceremoniarum curatio, quam sacerdotium appellant. Idem Lib. VI. Politic. c. VIII. Aliud porro curationis genus est, quæ in ceremoniis Et Deorum cultu versatur v. gr. Sacerdotum Et eorum quorum est quæ ad res sacras pertinent curare, ædes sacras fectas conservare, ruinosas Et labentes rescire atq; excitare Et alia similia, quæ ad religiones deorum instituta sunt administrare. Evenit autem ut hæc curatio alicubi sit una, ut in parvis civitatibus, alicubi verò multa Et à Sacerdotio separata, v. gr. in quibus sunt sacrificulæ Et templorum custodes Et sacrarum pecuniarum custodes. Huic proxima ea curatio est, quæ ad sacrificia publica excepta.

A 2

Et res

*Et reservata est, ea dico quæ non Sacerdotibus à lege assignantur; Sed iis qui hunc honorem à communi civitatis foro Et totius urbis Lare consequuntur. Conscientiæ autem imperare aut dominari verbo Dei quatenus tali ad majestatem non pertinet. Nec ideò metuendum ab argumentis Besoldi Dissert. Polit-Jurid. c. III. de Majestate in genere n. V. Quibus nihil commune Politicæ cum Ecclesiastico jure asserit num. i. quippe qui ipse in cap. V. VI. VII. satis multa largitur. Igitur sacra aliqua in Rempublicam introducere; Episcopos supremos constituere; Concilia describere, ac iis præsidere; Hæreses turbantes ejicere; Usus bonorum Ecclesiasticorum transformare, Majestatis Jus est.*

VII. Vis Legis non à bonitate, sed à Majestate imperantis dependet. Equidem Cicero Libr. II. de Legib. Legem ait esse justorum injustorumq; distinctionem, ad illam antiquissimam Et rerum omnium principem expressam naturam, ad quam Leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt Et tuentur bonos. Sed virtutis ac justitiæ hæc, non legis descriptio est. Quin cum tota legum vis in eo consistat ut jubeat vel vetet ex sententia Modestini; supremum verò imperium in Majestate resideat; Illud Lex erit quicquid pro lege Majestas constituerit, sive conveniat honesto, sive discrepet.

VIII. Statutorum itaque ac consuetudinum nulla autoritas est, nisi à majestate firmetur consensu expresso vel tacito. Constantinus LII. C. quæ sit longa consuetudo: *Consuetudinis ususq; longævi non vilis autoritas est, verum non usq; adeò sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem.*

IX. Mu-

IX. Mutare legem & interpretari solius Majestatis est. Constantinus L. I. c. de Legibus. *Inter equitatem jusque interpositum interpretationem nobis solis & oportet & licet inspicere.* Leo & Zeno L. XI. ibidem. *Cum de novo jure, quod in veterato usu non adhuc stabilitum est, dubitatio emergat; necessaria est tam suggestio judicantis, quam sententia principalis Autoritas.*

X. Uti Magistratus per majestatem constituti agunt, sic ipsa majestate agente magistratus quiescunt. Güntherus Lib. II. in Ligurin.

*Præsens quasi maximus omnia iudex  
Claudere jura manu cunctasq; recidere lites  
Debeat, atq; omnis iudex omnisq; potestas  
Atq; Magistratus ipso præsentate quiescant.*

XII. Duces, Comites, Barones, Principes non semper Magistratus sunt. Rutgerus Rulandus de Commissariis Lib. V. c. IV. n. XXXI. *Passim nunc reperiuntur in Germania & alibi Barones, Comites & etiam Marchiones & Principes, merè titulares, qui nec ipsi neque eorum Majores unquam territoria reali jurisdictione insignita possederunt.*

XII. Electio quidem Magistratuum aut denominatio sæpè à populo vel Judicibus, potestatis autem concessio & confirmatio à sola majestate est. Carolus Sigonius Lib. VII. de Regno Italiae. *Cum Germani Italianam suæ ditionis fecissent, civitatibus copiam fecerant consules sibi constituendi aliosve magistratus, sed quos nuntii Imperatoris ratos haberent.*

XIII. Reos mortis eximere à supplicio majestatis quidem privilegium est, sed rarò usurpandum; Ne impunita sint maleficia. Itaque Suetonius de Augusto memo-

memorat cap. LVI. Non nisi unum *Castritium*, per quem de conjuratione *Murena* cognoverat, è reorum numero eripuit, ac ne eum quidem nisi precibus exorato coram *Judicibus* accusatore. *Augustinus* Lib. de Fato. *Judicibus* statutum est ne liceat in reum datam sententiam revocare. Numquid & ipse *Imperator* sub hac lege erit? Nam ipsi soli licet revocare sententiam & reum mortis absolvere & ipsi ignoscere.

XIV. Pari modo & majestas integritatem famæ restituit. *Symmachus* Lib. X. Epist. III. Notatus *judicio* exploratissimum remedium *venia imperialis* implorat, ut *judicati* remissione famæ suæ vulnus excludat. Eoque sensu & *Naturales* & *spurios* per *Rescriptum* legitimat *Princeps*; ut pari honore ac dignitate cum legitimè natis sint in imperio.

XV. Extrema provocatio tantum ad majestatem fit, & interea cæteri magistratus quiescunt *Dionysius Halicarnassæus*. Si quis *Romanus Magistratus* aliquem vel capite plectere, vel *virgis* cadere vel *pecunias* mulctare velit, licere privato homini ab illo magistratu ad *populi* *Judicium* provocare, nec interea magistratui licere in eum animadvertere ullo modo, donec *populus* de eo suis suffragiis statuerit *Cicero* lib. III. de legibus. *Magistratus* nec obedientem & noxium civem multa, *vinculis*, *verberibusq;* coercento; ni par majorve potestas *populusve* prohibesfit, ad quas provocatio esto.

XVI. Quanquam autem à Magistratibus etiam quibusdam non provocetur; contra iniquitatem tamen sententiæ eorum alia rectè prospexit remedia majestas, & maximè supplicationem *Justinianus* *Novell.*

CXIX. V. Aliud ad hoc capitulum nostra indigens providentia

dentia prospeximus emendare. Quia enim nostra leges decernunt; Si quando gloriosissimi præfecti sacrorum prætoriorum sententiam protulerint, nullam appellationem adversus eam auferri; Sancimus, quoties sententia gloriosissimorum præfectorum cujuscunq; regni proferatur & unus litigantium forsitan putaverit se gravari, haberi eam licentiam, petitionem offerre gloriosissimis præfectis qui sententiam protulerunt, aut eorum consiliariis aut causas introducentibus, intra decem dierum inducias post prolatam sententiam; ut hoc subsequuto non aliter sententia executioni contradatur, nisi prius fidejussiones dignas præbuerit victrix pars, tantæ quantitatis, quantæ fuit condemnatio: ut si post hanc retractationem modo legitimo procedente sententia resolvatur, res ei cum augmentis legitimis restituatur. Si verò intra memoratas decem dierum inducias, post prolatam sententiam, non obtulerit libellum is qui putat se læsum; jubemus causæ executionem sine fidejussore procedere, retractationis jure servando illi qui se gravatum putaverit.

XVII. Armorum potestas majestatis est. Xenophon lib. VII. Cyropæd. Sicuti arma cæteris ademimus, ita nos ipsos nunquam ab armis destitui oportet, idque pro certo habere persuasum, illis omnia quæcunq; velint, maximè sua & propria esse, qui quam proximè ab armis absunt. Nam ut ait Aristoteles Lib. IV. Polit. c. XIII, eorum civitas in manu est, qui arma habent.

XVIII. Propter pacem publicam gestatio armorum rectè interdicitur. Justinianus Novell. LXXXV. cap. III. Hanc igitur, gubernante nos Deo, cogitationem per præsentem sancimus legem, in nulla civitate aut provincia nostræ Reipublicæ habere licentiam privatos, aut alium quempiam

B

arma

arma facere aut vendere aut quolibet mercari modo. Hoc enim factò & subtiliter observato à prædictis personis, licentia penitus nulli dabitur, neq; civitates inhabitantibus privatis, neq; villas incolentibus rusticis armis uti adversus alteros, necesq; præsumere, & ex hoc plurimos homines occidi; publicas verò perire functiones, dum terræ cultores vitam amittere metuentes, fuga propter timorem utuntur.

XIX. In concionem aut Senatū venire cum telo, justè prohibetur. Valerius Maximus Lib. VI. c. V. Extern. n. IV. *Ad vim & cruorem usq; seditiosas conciones civium pacaverat Charundas Thurius, lege cavendo, ut si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur.* Nullo discrimine live plebeji live Nobiles cingantur.

XX. Nec malè inde quidam populi hospitibus arma inferre interdicit. Ita de Masiliensibus Valerius Lib. II. c. V. n. IX. *Intrare oppidum illorum nulli cum telo licet, præstoq; est, qui id custodia gratia acceptum exituro reddat, ut hospitia sua quemadmodum venientibus humana sunt, ita ipsis quoq; tuta sint.* De Agrippinensibus C. Tacitus Lib. IV. Hist. c. LXV. n. VI. *Sint transitus incustoditi sed diurni & inermes, donec nova & recentia jura in vetustatem consuetudine vertantur.*

XXI. Bella indicere nemo debet, nisi qui majestatem habet. Augustinus Libr. XXII. contra Faustum c. LXXIV. *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc pascit, ut suscipiendi belli auctoritas atq; consilium apud principes sit.* Et in cæteris rebus publicis, vel apud optimates, vel apud populum. Privatis sanè bella gerere, aut arma movere non licet. Valentinianus & Valens Impp. *Nulli prorsus nobis insciis atq; inconsultis quorumlibet armorum*

rum

rum movendorum copia tribuatur. C. ut armorum usus in-  
scio principe interdictus sit. Nisi incumbat neces-  
tas, quæ ad consilium Principis accurrendi non conce-  
dat spacium H: Grotius *Lib. I. de Jur. bell. ac pacis c. III.*  
*n. IV.* Rursum si ita presens sit periculum, ut tempus non fe-  
rat eum consuli, qui supremum in civitate Jus habeat; hic  
etiam necessitas exceptionem porriget. Hoc jure usus L. Pi-  
narius presidio Enna in Sicilia praefectus, cum certo sciret op-  
pidanos ad Carthaginenses defectionem moliri, eade in eos  
facta, Ennam retinuit.

XXII. Pax & fœdera rata non sunt Reipublicæ, ni-  
si à majestate aut fiant aut confirmentur Hinc Salustius  
in bello Jugurthino: *Senatus ita ut par fuerat decernit suo  
atque populi injussu nullum potuisse fœdus fieri.* Cicero in  
oratione pro Balbo. *de quo fœdere populus Romanus sen-  
tentiam non tulit, qui injussu suo, nullo pacto potest religione  
obligari.* Posthumius apud Livium *Lib. IX.* *An si sana mens  
fuiisset, difficile illis fuit, dum senes ab domo accersunt ad con-  
sultandum, mittere Romam Legatos? cum Senatu, cum po-  
pulo de pace & fœdere agere?* Tridui iter expeditis erat. In-  
terea in judiciis res fuiisset, donec ab Roma Legati aut victo-  
riam illis certam aut pacem afferrent. Ea demum sponsio  
esset, quam populi jussu spondissemus. Jam verò quid vo-  
biscum Patres conscripti, quid cum populo actum est? Quis  
vos appellare potest, quis se à vobis dicere deceptum? hostis  
an civis? Hosti nihil spondistis, civem neminem pro vobis  
spondere jusistis. Nihil ergò vobis nec nobiscum est, quibus  
nihil mandastis; nec cum Samnitibus, cum quibus nihil e-  
gistis.

XXIII. Fœderati quoq; nonnisi communi consilio bellū aut pacem faciunt. Ita Ætolorū Prator cautum legibus eorum ait; *ne de pace bellove nisi in Panatolico & Pylaico concilio ageretur.* Atque ideò suadet Ætolis, *ut ad respondendum Legatis Romanorum & Philippi Regis Macedonia decernant extemplò, ut Prator sine fraude cum de bello aut pace agere velit, advocet concilium, & quod tum referatur decernaturve, ut perinde jus ratumq; sit, ac si in Panatolico aut Pylaico concilio actum esset.*

XXIV. Jus cudendæ monetæ adeo majesticum est, ut per monetam aliquando ipsa majestas significetur. Vopiscus in Firmo. *Cum ille diceret: Firmum Latrunculum fuisse, non principem; contra ego illum & purpura usum & percussa monetâ Augustum esse vocitatum: quinq; etiam nummos Severus Archontius protulit.*

XXV. Monetam quidem Majestas pro arbitrio mutare potest, at sine justo precio ac pondere non debet. Itaque Xiphilinus notat Caracallam. *Antonino cum cetera omnia, tum nummus adulterinus erat. Nam pro argento aurove quod nobis daret, plumbum argentatum & as inauratum parabat.* Novella constitutio Leonis XII. *Si pecuniarum nervi sufficiens & copiosa illorum materia est, remq; publicam pecuniarum vis stabilit, rectè profectò veteres defectum, velut morbum quendam ac tabem inde profugarunt.* Polyænus Lib VI. Stratagem. *Leucon cum pecuniis indigeret, jussit omnem ad se monetam deferri, quo factò novo signo impresso, jussit unumquemq; nummum duplo precio esse.*

XXVI. Materiam monetæ sola majestas definit. Ita Vopiscus in Tacito. *Cum admixtione aris nummi cor-*  
*rum-*

rumperentur, Tacitus indictâ capitali pœnâ, vetuit metalla confundi. Imaginum autem impressio paulò liberior aliquando subditis permilla est, & à majestate communicata.

XXVII. Res omnes totius Reipublicæ majestati quidem deserviunt, privatorum tamen in bonis esse nō desinunt. Sen. Lib. VII. de Benefic. c. IV. Illa quorum ad Regem pertinet universa possessio in singulos Dominos descripta, & unaquaque res habet possessorem suum. Itaque dare regi & domum & mancipia possumus, nec donare illi de suo dicimur. & c. III. Omnia Rex imperio possidet, singuli dominio. Plinius in Panegyrico Trajan. Non exturbatis prioribus dominis omne stagnum, omnem lacum, omnem saltum possessione circumvenio; nec unius oculis flumina, fontes, maria deserviunt. Ecquid Caesar non suum videat? tandemque imperium principis, quam patrimonium majus est. Sic Seneca Lib. VII c. IV. Fines Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt. & totus ager aut vicus Reipublicæ est pars, deinde suo quoque dominio censetur.

XXVIII. Vectigalia & Tributa majestas omittere non debet. C. Tacitus XIII. Annal. Lib. n. I, & II. Dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum ejus multum prius laudata magnitudine animi attinere Senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus quibus Respublica sustineretur, diminuerentur; quippe sublatis portoriis, sequens ut tributorum abolitio exoptularetur. Plerumque vectigalium societates à Consulibus & Tribunis plebis constitutas, acri etiam Populi Romani tum Libertate. Reliqua

*mox ita provisā ut ratio questuum & necessitas erogationum  
inter se congruerent, causam addit Meccenas apud Dio-  
nem Cassium Lib. LII. Quia impossibile est & sine bello  
nos tutos esse & milites sine stipendio habere, sive unius prin-  
cipatum agnoscamus, sive in qualicunq; Republica for-  
ma vivamus, ubiq; necessario pecunia est  
conficienda.*



Ad

Ad  
*Generosum Dn. Respondentem*  
**JOACHIMUM HEN-**  
**NINGUM à JAZKOVV,**  
Equitem Polonum.

**M**ajestas prognata Diis, & proxima iisdem  
Nunc summum meritò culmen honoris habet.  
Hanc, JAZKOE, doces. Sceptrorum numen amicum  
Sit tibi, dum superùm provehit aura ratem.

In gratiam Convictoris Nobilis-  
simi deproperabat,

Augustus Buchnerus.

---

**A**ureus ignifero dum surgit Phœbus Olympo,  
Eruit occultum nocte premente diem.  
Sic quando Eloquii radiantia spicula vibrat  
JATZKOVIVS patrii spes generosa soli,  
Obscuras animi tenebras sub mente latentes  
Depulit, & cœlo mox propiore locat.  
Aurea Majestas & Jura sonantia Belli,  
Et quicquid populus, quod veneratur, habet  
Illi procedunt, quando hæc certamina ludit;  
Quanta dabit, quando publica jura reget.

*Generoso JATZKOVIO*  
*Amico & Commensali*  
*suavis.*

raptim s.

Bogislaus à **Sonnitz.**


15521.




X 2615909

VDA







1654 of 27 51  
1/1

HYPOMNEMATA POLITICA  
De  
**JURIBUS MAJESTATIS.**  
PRÆSIDĒ  
M. CASPARE ALEXANDRI,  
*publice disputabit*  
JOACHIMUS HENNINGUS à Zalkow  
in Auditorio minori  
*d. 18. Mart. hor. pom.*

WITTENBERGÆ  
Literis exscribebat JOHANNES RÖHNERUS Acad. Typogr.  
M DC LIV.